



42.

Q. D. B. V.  
DISQVISITIO PHYSICA  
De


MONSTRO-  
SIS NATURÆ OPE-  
RIBUS,

Quam,  
PRÆSIDE  
M. JOHANNES WERGER, LUBEC.

Facult. Philos. Adjuncto  
*Eruditorum censura submittit*

JOHANNES KÖEHN  
Lubecensis.

*Ad Diem 22. Ianuar.  
In Auditorio minori horis an-  
temeridianis*



WITTEBERGÆ

Literis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGELN,  
ANNO M, DC, LVIII.





Q.D.R.V.  
PASTORALIS RITUALIS  
Dr.

MONISTERO  
SIS NATURALIS  
RIBES

M. JOHANNES WIRGER, LUBEC.

JOHANNES KOHN



WITTEBERGA  
Ludwig Herold, Mithras & Göttergötter  
AND M. DE LAMB







PROOEMIUM.



Verenti, cur nos impræsentiarum solliciti  
 simus de natura & conditione effectuum  
 monstrorum, hoc responsi primo loco da-  
 mus: Ut amenissima & pulcherrima na-  
 turæ opera rectius & exactius nobis con-  
 stare possint. Quamvis enim res natu-  
 rales in se satis pulchræ, & satis præstan-  
 tes sint, lucem tamen majorem in ipsis concipimus, ex judicio  
 nempe sensuum & rationis nostræ, si ne vos earundem attentius  
 perlustremus. Non autem hoc volumus, quod Conimbricenses  
 urgent, ac si monstra & aμαρηνά & τῆς φύσεως aliquid confer-  
 rent ad mundi ornatum. Quomodo enim illud, quod deforme  
 est, venustatem aliquam alteri rei largiri potest? quod quis  
 non habet, id alteri communicare nequit. Ex opposito quidem  
 magis elucescit hujus vel illius rei natura, sed major illa lux,  
 quæ affunditur, non est quærenda in ipso opposito, sed in sensus  
 & rationis judicio. Gratissima nobis lux est ob obscuram no-  
 tæm, & limatius judicium ferre possumus de præstantia & uti-  
 litate lucis, si tenebrarum fœditatem noverimus, neque tamen  
 tenebræ ex se aliquid faciunt ad amenitatem lucis. Colorem al-  
 bum magis magisque commendat oppositus ater, ut illa, quæ non  
 adeo sunt alba, maximè alba appareant, quod vel ipsæ virgines  
 suis comprobant exemplis. Quæ candidâ sunt facie, emplastris  
 in fronte, genis, mento, utuntur nigris, ut candidiores appare-  
 ant, & fucum faciant. Flabella quoque hoc hominum genus ad-  
 hibet nigra, præsertim calidissimo æstatis tempore, non tam ut





ventum faciat, sed ut vario fuce mentiatur colorem, & candidiori facie, Φανοπέρως tamen incedat. Eodem modo quoque se res habet in monstris. Horrenda illa & enormia τέρατα & κενόσια ex se nullam adferunt theatri mundani speciebus speciositatem, sensus tamen mentesque nostras in dijudicandis rectis effectibus prestant saniores. Deinde quoque hæc nobis ratio ansam dedit, monstra, germina illa prodigiosa præsentidiatrube investigandi, ut eò majoribus laudibus Deum celebraremus, qui non permisit, ut nos monoculi & valgi, aut alia quadam cum enormitate nati simus, sed qui rectam & legitimam corporis dispositionem clementissimè nobis largitus fuit. Quàm enim isti parentes contristantur, quos sui conterret infantes, & quibus prodigiosi tales nascuntur filii, tam ex adverso letantur ii, Deoque amplissimas dicunt laudes, quibus liberi à monstrifera labe prorsus immunes in lucem eduntur. Antequam autem huic labori manum admoveamus, ardentissimis votis Deum sollicitamus, ut conatus nostros ex voto profligare cœlitus non dedignetur.

## SECTIO ΘΕΤΙΚΗ.

### THESIS. I

*Monstrum est effectus naturalis cum insigni deformitate à causa deficiente & aberrante productus.*

§. I. Existentiam monstrorum non facilè aliquis negabit, nisi qui ipsi scripturæ sacræ & experientiæ bellum indicare velit. Scriptura Gen: 36. 24. testatur de Ana, filio Zibeonis, homine de Esavi sanguine nato, ipsum, dum pasceret asinos sui patris, invenisse mulos, qui vel maximè ad monstra sunt referendi. Cum autem ille locus aliter atque aliter in translationibus legatur & explicetur, textus originalis verba apponimus. Ita habent: **הַיָּמִים הַהֵם עָנָה אֲשֶׁר מִצָּא אֶת־ הַיָּמִים בְּמֶרְבֶּר בְּרָעָהוּ אֶת־ הַחֲמֹרִים לְצִבְעוֹן אָבִיו**  
*Hic Hanah qui invenit mulos in deserto in pascendo illum asinos Sibhon patris sui. In translatione veteri vox הַיָּמִים explicatur*



tur per aquas calidas, in nova, & rectius quidem per mulos, pro-  
ut videre est in annotatis Francisci Vatabli ad hunc ipsum lo-  
cum. Non enim מים חמים oritur ex מים calidus, & מים aqua,  
alio enim modo fieret literarum positus & punctatio, sed  
ex מים muli, Cum autem versu 20. Zibeon & Ana dicantur  
fuisse fratres ex patre Seir, Talmudici fingunt, Zibeonem cum  
matre incestum commisisse, & ex illo incestuoso congressu  
genuisse Anam, qui Anahillis dicitur fuisse homo מים חמים pro-  
fanus & spurius, & introduxisse in mundum מים חמים profana  
& spuria animalia.

§. 2. Experientia quoque clarè satis de monstris testa-  
tur, quam nemo facile in dubium vocabit. Sensum enim di-  
mittere in iis, quæ sensibus manifesta sunt, ἀπρωσία τῆς δια-  
voίας est. Non Africa tantum copiosè illa sistit monstra, quæ  
propterea iure summo monstrorum patria salutari potest, sed  
& Europa nostra dives satis est prodigiosis istis effectibus. Sæ-  
pius ex equo & asina fit hinnus, ex capra & ariete nascitur  
musmus, ex lupo & panthera lycopantheros, ex pardo & lea-  
na leopardus. Neque illud silentio prætereundum est, quod  
de leæna consignarunt Zoologi, imprimis Frantzius part. 1.  
hist. anim. cap. 29. Leo, refert ille, propter calidissimum tempe-  
rumentum non amat frequentem coitum, leæna verò libidi-  
nosissima est, propterea cum pardo mutuam exercet vene-  
rem, gravida postmodum facta excurrit in monte quasi præ-  
dandi gratia, & fœtus deponit, leopardos nempe, id est ani-  
malia leonibus & pardis similia, quando verò illos reperit leo,  
in minutissimas partes mordicus illos dilacerat. Optandum  
autem esset, ut intra Sphæram animalium sese continuisset  
abominanda illa commixtio, neque ipsos quoque homines  
occupasset. Quamvis autem ipse Deus capitale supplicium  
annunciaverit illis hominibus, qui fœdisimo hocce cum a-  
nimalibus coitu sese contaminarent, nihilominus tamen  
mortales, divinâ comminatione susque deque habitâ, prodi-  
giosos tales congressus instituunt. Quid dicam de incolis ter-  
ra Italæ? non insolens in illo populo est grande hoc facinus,  
dum alius libidinis œstro percitus, rem cum vacca habet, ali-



us concumbit cum capra, ex quibus congressibus monstra oriuntur. Ipsamet nostra Germania sapissime conqueritur de ejusmodi farinae hominibus, quos Vulcani subinde violentia tradit, prout id nostrum memoria factum esse nonnunquam meminimus. Ut autem existentia monstrorum clarius pateat, unicum adhuc adduco Augustini testimonium, qui *libr. 16. de civit Dei cap. 8. fatetur*, suo tempore horrendum in lucem fuisse editum monstrum, hominem nempe, duplicem superioribus membris, inferioribus simplicem, duo adfuisse capita, manus quatuor, ventrem autem unum & pedes duos, & per aliquot annos eundem vixisse. Qui adhuc dubitabit de monstris, adeat Hippocratem & Aristotelem, egregium ibi videbit monstrorum catalogum.

§. 3. Existentiã monstrorum jam evictã, inoffenso pede ad *ὀνομαλογία* tendimus. *Etymologiam* quod attinet, monstrum alii à monstrando deducunt, quod vel monstret & portendat futurum aliquod, vel quod digito quasi intento monstretur ab aliis, tanquam insolitum & inusitatum aliquod, alii à monendo, quod monere nos debeat de Dei ira & odio in genus humanum, quemadmodum vox græca *τέρας*, quæ à *τρέω*, tremo oritur, id ipsũ elegantissimè exprimit, cum tremore enim adspicienda sunt talia prodigia, & monere nos debent de immutatis, & depravatis hominum moribus. *Homonymiam* quod spectat, varias sustinet vocula hæc acceptiones. Vel enim sumitur *pro monstro artificioso*, quando pictor à recta artis pictoriæ orbita declinat, & elegantissimam Helenam picturus meretricem indecorã facie pingit, vel *pro monstro fabuloso*, quod fingere solent Poetæ in depingendis hominum moribus, quale monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum apud Virgilium est Polyphemus, qualia monstra sunt Cyclopes &c. vel *pro monstro naturali*, quod oritur ex principiis naturæ sine suo frustratæ, quod ultimum ad nostram hylen tantummodo spectat. *Synonyma* vocabula sunt, ostentum, *αμάρτημα τῆς Φύσεως, πήρωμα, ὠδύδοξον* &c.

§. 4. Ad *πραγμαλογία* pergimus. Genus vel quasi genus monstri est effectus naturalis. Verè enim natura efficit.  
Cum



cum format monstra, licet pravè efficiat. Quemadmodum enim pictor ab orbita artis suæ declinans verè tamen pingit, quemadmodum sagittarius sagittam dirigens ad scopum, ab eoque aberrans verè tamen jaculatur: ita quoque quando natura, intendens producere opus, consuetà suà perfectione cōstans impeditur & deficit, verè tamen producit. v. g. parentes, qui producant monstrosū filium, quem tamē nullatenus intenderant, verè tamen eum producant. *Dicis*, parentes fuisse causas per accidens monstrosi filii, ergo non reverà in effectum hunc influxisse. *Resp.* propterea, quia fuerunt causæ per accidens, verum influxum præbuerunt. Non enim existimandum, quòd per accidens esse determinationem alienantem, quæ tollat rationem causæ, & quòd per accidens esse opponendum veritati. Quicquid per accidens fit, verè fit. Opponuntur sibi quidem causa per se & causa per accidens, non ratione influxus, utraque enim agnoscit influxum sive causalitatem, sed ratione intentionis, quod causa per se cum intentione, causa autem per accidens absque intentione agat, id est, opponuntur sibi non in puncto causæ, utraque enim est causa, sed in puncto talis vel talis causæ. Per vocem *naturalis* hic excluduntur omnia vitia & deformitates, quæ à primo ortu à natura non formantur. Sic quando tenellis infantibus tenella membra fasciis aut ligamentis pervertuntur, aut quando incuriâ nutrimenti in terram decidunt, ita ut membra lapsu illo fiant distorta, aut quando morbus aliisve casus insigniter manus pedesque deturpat, contorquet, invertit, non tamen propterea dicendi statim sunt monstra, naturæ enim erratum in formationis opere debet committi, quod hic non adest. Natura hic non est accusanda, sed illa suum munus sedulo fuit executā. Non ergo dolorum patientissimus Jobus eò tempore dicendus fuit monstrum, quòd à capite ad calcem adeò deturpatus fuit, ut quilibet oculos ab eo averterit. Neque mulier illa, quæ per octodecim annos gravissimo morbo confictata erat, ut exinde facta fuerit *συγκύβητος καὶ μὴ δυναμένη ἀνακύψαι εἰς τὸ πάλιν* Luc. 13. 11. vocanda erit monstrum, cum nec Jobus nec mulier illa tales à natura formati fuerint.

§. 5. Dif-



§. 5. Differentiam, vel illud potius, quod stat loco differentia, exhibent formale & causa efficiens. *Formale* monstrum est insignis quaedam deformitas; Ubi enim nulla est exorbitatio, nulla obliquitas, ibi nullum monstrum habebit locum: hinc ipse Aristoteles *l. 2. ph. cap. 9.* hanc naturæ degenerationem à solita dispositione in monstro requirit, monstrum enim ibi definit *per effectum naturalem, degenerantem à recta & solita secundum speciem dispositione.* Quemadmodum enim in monstro artificiali, cujus mentionem in homonymia paulò superius injecim<sup>o</sup>, talis deviatio & obliquitas occurrit, quæ facit, ut talis pictura monstrosa vocetur: eadem quoque ratione talis exorbitatio hic requiritur in effectu monstroso naturali. Non autem quælibet statim deformitas hic intelligenda erit, sed enormis quaedam & maximè notabilis. Hinc qui graciliori corpore nascuntur, aut qui corpulentiores quodammodo in lucis auras eduntur, non statim monstra sunt salutandi, hinc quoque nec illi, qui cum rubicundis maculis in facie, manibus, brachiis corpore nascuntur, ad monstrorum numerum sunt referendi, quæ à viribus phantasiæ præstari solent, non quidem per se, sed per accidens, mediante nunc facultate appetente, nunc facultate locomovente, non enim adest enormis quaedam deformitas, & deformis enormitas, qualis conspicua est in hominibus valgis, monoculis, repandis. Evolve, si lubet, *Weinrichium de monstris cap 21.* ipsum Augustinum *lib. 16. de Civ. Dei.*

§. 6. Causa efficiens est natura deficiens & aberrans, quemadmodum effectus monstrosus defectus quoque est nominandus. Paucis hic attingendæ sunt veræ monstrorum causas. Non autem omnes monstrorum causas proferemus, infinitus enim labor ille est, quia erratum infinitis modis fieri potest, tantum causas in ordine ad perfectiora animalia considerabimus. Dux autem potissimè causas occurrunt: *Materialis*, quæ est semen, non nunquam etiam sanguis menstruus. *Causa efficiens*, de qua jam diximus, est natura deficiens & aberrans, qui defectus variis modis contingere potest. Non nunquam phantasia facultatem formatricem à scopo & fine

106



suo aberrare facit, ut tenuissimæ fætûs materiæ mirificæ & ad spectu sat terribiles formæ imprimantur. Refert Münsterus, accidisse aliquando, ut, cum duæ mulieres publica in via sermones cœderent, & fortè fortuna à tergo tertia adventaret, frontesque utriusque collideret, altera earum duas enixa fuerit puellas, frontibus ad nasum usque coherentibus, quæ decem annis ita conjunctæ vixerunt. Ipse Lutherus *in comment: sup. genes:* duo adducit exempla, quæ ad actiones phantasiæ referenda sunt, quorum alterum Isenaci, alterum hic Wittebergæ factum fuisse memorat, digna certè, ut apponantur. Nempe scribit, se puero adhuc, Isenaci formosam & pudicam matronam enixam fuisse *παιδιον*, formam gliris referens, quod eò accidit, quia ex vicinis aliquis gliri nolam de collo suspenderat, ad cuius sonitum reliqui fugarentur, domumque relinquerent, gliris autem aliquando huic mulieri gravidæ occurrit, quæ repentino ejus accursu & adspectu ita territa est, ut foetus in utero degeneraret in formam istius bestiolæ. Fatetur idem Lutherus, se Wittebergæ vidisse civem vultu cadaveroso, cuius mater, cum gravida esset, adspectu cadaveris alicujus mirum quantum territa fuit, ut formam cadaverosam fætui communicaverit. Qui plura monstrorum partuum exempla in genere humano obvia desiderat, adeat aureum tractatum *Beatiss. Dn. SPERLINGII de format. hom. in ut: cap. 5. pag. 105.*

§. 7. Nempe modus hic paucissimus est investigandus, quò natura stupendos tales effectus, quos jam meminimus, producat. In adductis illis exemplis distinguendi sunt effectus, alius est determinatus, cum certa & peculiaris datur signatura, qualis est in gemellis istis puellis conjunctis ad nasum frontibus natis, & qualis est in *παιδιον* formam gliris referente, alius est indeterminatus, cum non certa aliqua signatura, sed insperatum aliquid producit qualis est in fætu illo cadaverosam habente faciem. In his indeterminatis effectibus recurrendum est ad phantasiam, quæ quidem non per se & directè talem notabilem defectum effecit, directum enim & primarium phantasiæ officium est, cum species à sensu communi delatas examinare, depurare & phantasmata inde cu-

B

dere,



dere, tūm ex istis novas pingere & fingere species, sed per accidens & indirectè, per facultatem appetentem & locomotentem, phantasia namque excitat appetitum, eundemque turbat, appetitus locomotivam, locomotiva spiritus & humores, qui pro suo recessu & accessu mutant partes corporis humani, spirituum itaque recessui cadaverosa illa facies est adscribenda. In determinatis autem istis effectibus non lege illa communi, nempe per causarum & actionum istarum coronam, id est, per phantasiam, appetitum, locomotivam, spiritus & humores effectus isti formantur, sed novo planè & peculiari modo. Recurrendum hic ad virtutem formatricem, secundum ideam vel causam aliquam exemplarem operantem. Exstimulet enim phantasia appetitum, appetitus excitet locomotivam, quantum velit, moveantur spiritus & humores, nunquam tamen inde certæ illæ signaturæ, certæ illæ notæ formabuntur. Phantasia turbat & seducit facultatem formatricem, ut membra mille modis depravata formet. Clariùs hæc dicenda adhuc sunt, species à phantasia perceptæ communicantur spiritibus ac sanguini matris, à quibus postea spiritibus & sanguini ipsius fetus imprimuntur, juxta quas phantasticas species tanquam juxta certum aliquod exemplar *δύναμις πλαστική* ad corpus monstruosè formandum dirigitur & disponitur. Ipsa sæpius uteri qualitas virtuti formatrici obstaculo esse potest, quo minus rectus & regularis, sed pravus & irregularis fiat effectus, ipsa matrix quando, angustior quodammodo est, ut fetus recipiendo sit minus capax, ipsam *γονήν* reddit corruptam, & depravatam: ipsi quoq; matrici si non justum adsit temperamentum, notabilis deformitas foetus induci potest, si enim justò frigidior aut siccior est, ipsa genitura patitur defectum aliquem, non secus ac si agro sabuloso aut immoderatè calido semina committantur, quæ proventu læto non solent beare agricolam. Ratio quoq; spirituum, motus inordinatus, concussio vehemens, plaga, ictus aut alius violentus affectus causæ monstrorum existere possunt.

§. 8. Restat adhuc materialis causa, quæ vel semen est,  
vel



vel sanguis menstruus. Vitium in femine triplici modo esse potest; *primò* enim abundat, ex qua feminis abundantia gigantes pronascuntur, bicipites, homines quatuor brachiorum, quatuor pedum, aut alia pars corpori adnascitur, quæ abesse debebat: *secundò* deficit, ex quo feminis defectu oriuntur homines ἀκέφαλοι, ἀχειρες, absque pedibus & digitis, vel quando homo ista corporis parte destituitur, quæ adesse debebat: *tertiò* quando non fit legitima & regularis feminum mixtura. Sic quando equus & asina mutuò congregiuntur, nascitur mulus, quem Democritus non naturæ opus, sed humanæ machinationis ad ulterium & furtum jure summo appellavit. Sic quando læna cum pardo miscet semina, leopardus, spuria naturæ soboles nascitur, quando canis cum lupa congregitur, tertium inde resultat κυνόλυκος &c. nonnunquam ex horrenda feminis humani & brutalis commistione infans nascitur. Scribit Ælianus, in Sybari adolescentem quendam caprini amoris libidine flagrasse, & venereo ipsi junctam fuisse complexu, dona quoque ei obtulisse, hederam nimirum & juncum, quibus os redderetur ad osculandum sua veolentius, subtravisse quoque capræ herbas molles, ut mollius & securius dormiret, suo postea tempore capram enixam fuisse infantem, caprina habentem crura, faciem verò humanam. Huc referri potest horrendum illud monstrum, quod anno 1654. ab Hispanis militibus in Cerdagna, monte Cataloniae captum fuit, quodque superiori adhuc anno Madriti quibusdam non sine stupore visum fuit. Imaginem ejus depictam in nostra Germania multi possident, imò Witteberga nostra faciem ejus ostentare potest. Septem habet capita, in singulis duo sunt oculi, in septimo, cum quo cibum capit, unus & quidem in medio fronte conspicitur oculus, septem manus, sonum minus perceptibilem edit, superiori corporis parte homini simillimum est, inferiori capræ. Non absurdus scriptor aliquis clarissimus est, qui monstrum hoc progenitum fuisse existimat ex abominando capræ & Hispani caprarum pastoris coitu. Vide in fine fere den Teutschen Secretarium anno 1656. edit: part. 10. cap. 31. Sunt enim Hispani libidinosi-



simus populus, ut complexum sapius animalium, quam mulierum magis ament. *Sanguini denique menstruo* suas in progenerandis monstris tribuimus partes. Quem enim fugit sanguinem hunc foetui cedere in augmentum & alimentum? partes namque singulae affluxu hujus materno sanguinis perfecte elaborantur, augentur, perficiuntur: si jam sanguis ille in quantitate debita per venam umbilicalem non affluat, corporis humani intra materna viscera adhuc conclusi partes debito modo augeri & perfici nequeunt, ut ita defectus aliquis notabilis inferatur; si autem abundet ille sanguis, iterum monstruosus fit foetus, si autem plane vitiatus & corruptus sit ille sanguis maternus, vitiatus quoque sistitur effectus. Sed, ut dixi, infinitis modis talia possunt oriri naturae *καί εσχα*. Enumerati hi nobis sufficient in praesenti; disquisitione.

#### THESIS. II.

*Subiectum monstrorum sunt plantae, bruta & homines.*

§. I. Non promiscue monstra trahenda sunt ad omnia corpora naturalia. *Primo* enim corpora simplicia excluduntur. In monstrorum enim productione generatio ipsa locum tenet, quae non competit corporibus simplicibus: non enim habent animam vegetativam, cum sint corpora inanimata, & in primo entium gradu tantum collocentur, itaque nec habebunt operationes animae vegetativae, quales sunt augmentatio, nutritio, generatio & aliae. Materiam quoque generationis destituuntur corpora simplicia, quae est semen: *Cuiusque denegatur ipsa generandi facultas, ei quoque generationis materia erit deneganda. Atque corporibus simplicibus ipsa generandi facultas denegatur. E quoque ipsa generationis materia erit deneganda.* Major propriis coruscat radiis, unde enim illa generationis materia? certe à facultate generatrice. Minor probat ex eo, 1. quia non habent animam vegetativam. 2. quia esset *αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ὡς πρὸς ἑαυτὸν* esse corpus simplex, & tamen generationem subire, cum generatio sit actio corporis naturalis nisi quemadmodum definitur ab Excell. DN. SPERLING, p. m. instit. ph. l. 6. c. 6. *Secundo* excluduntur à mon-



monstrorum classe mineralia. Corpora namque heterogenea partium diversorum distorsionem tantum admittere posse videntur, non verò corpora homogenea, qualia sunt mineralia, aurum, argentum, lapides, inepta illa sunt ad talem distorsionem. *Excipis*, materiam tamen generationis, ipsum semen, sive seminale principium mineralibus competere, ut & ipsam generationem univocam, quod in *disputatione nostra de generatione mineralium* satis superque demonstravimus, ergo quoque non eliminanda illa prorsus esse ex classe & serie monstrorum, præsertim cum antea dixerimus, generationem in monstrorum productionibus maximè esse spectandam. Sed responsi loco hoc habe 1. nos intelligere hic generationem *κυβλωε* & strictè acceptam, quæ est facultas animæ vegetativæ, quæ locum non obtinet in mineralibus, sed potius latè sumpta generatio. 2. semen in metallis adesse quidem, *νὸ πρῶτως* tamen dictum semen, quale deprehenditur in animalibus & plantis, sed *δεύτερος*. *Objicis* porro, in metallis conspici sæpius insignes deformitates. Sed Res. non tam propriè dicta monstra esse, quàm vitiosas concretiones.

§. 2. *Planta* itaque primo stant loco. Poma in arboribus concrecere cernimus, nuges & pruna concreta sæpius videntur, imò numerò alias plura dantur monstra in genere plantarum. Quemadmodum jam gemellos in utero matris arctissimè concretos jure summo aliquis vocaret monstra: eadem quoque ratione poma & cerasa concreta monstrorum nomine notare possumus. Noverunt insuper, qui botanicis sedulam navant operam, quàm sæpe in plantis, ut in herbis & arboribus natura à consveta, id est, primaria suâ intentione deflectere soleat. *Bruta* secundum occupant locum. Nemo hic facile bruta à monstrorū classe eximet, cum sæpius talia exempla sint obvia. Solem in meridie lucere negaretis, qui in brutis monstra fieri inficias iret. Remittimus candidum lectorem ad superiorem thesin. Ex abundantis sistimus buccophalum, & *λε* copantherum. Ibi materia generationis non iusto & naturæ legibus præscripto modo fuit mixta, hinc ortum fuit monstrum. *Homines* tertiam constituent classem. Ipse Es-



vus satis monstrosus erat. Ipsa divina librorum monumenta Gen. 25. 25. insignem Esavi deformitatem nobis exponunt. *Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus.* In translatione nova habetur, *Esavum hispidum prodisse instar gausapinae villosae, quæ gausapina idem valet, quod gausape, sive militare stragulum villosum eine zõtichte Decke.* In hebræo textu ita legitur; *כָּאֲדָרְתָּ כָּלּוֹ אֶרְמֹנֵי כָּלּוֹ* rufus totus ipse, sicut pallium capilli, id est, sicut pallium maxime pilosum. Aduit itaque in Esavo 1. color insolens aliàs in infantibus, qui Esavi sanguinolentam dubio procul indolem indicavit, 2. pili oblongiores erant conspicui in toto Esavi corpore, qui Esavum insigniter deturparunt deformatumque. Aliàs quoque in sacra pagina mentio monstrosorum hominũ injicitur. Describitur Deut. 3. 11. Og, Rex Basan, unus de stirpe gigantum tantæ longitudinis, ut ferreo lecto usus fuerit, cujus longitudo novem erat cubitorum, & latitudo quatuor. Filii Enakim in sacris ut horrenda in humano genere monstra ob immanem magnitudinem describuntur Deut. 2. 10. Hinc exploratores terræ Canaan reduces facti ex illa Mosi & Aaroni recensebant omnia, quæ ipsis obtigerant, se vidisse quoque filios Enakim aiebant, id est, fortissimos & staturæ mirandæ homines Num. 13. 29.

### THESIS III.

*Monstra quædam speciem mutant, quædam servant. Et hæc sunt vel circa sexum vel circa constitutionem aliarum partium sexu illeso.*

§. 1. Quæ speciem mutant, sunt illa, quæ diversissimam à causis generantibus habent essentiam, & quæ ab aliis effectis rectis & perfectis specie differunt, quale speciem mutans monstrum est mulus & leopardus, mulus enim non est ejusdem speciei cum causis prognerantibus, non est equus, nec asinus, sed ex parte naturam equinam, ex parte naturam asinam repræsentat: qualis namque est materia generationis, tale generatum existit, quæ quia hîc contra communem naturæ legem à causis ratione essentiæ dissimillimis miscetur, essen-



essentia quoque tertia inde resultat à causis sociis diversissima. Eodem modo quoque sese res habet cum leopardo, de quo nihil ulterius adjicimus. Hic non inscitè quæri posset, an non talia monstra, quæ speciem mutant, stabiliant Peripateticorum sententiam de generatione æquivoca, quæ nihil aliud ipsis est quam quando generans & genitum sunt diversæ speciei. Hoc modo argumentari aliquis posset *In quacunque generatione generans & genitum sunt diversæ speciei, ibi generatio fit æquivocâ. Atqui in generatione muli & leopardi generans & genitum sunt diversæ speciei. E. ibi est generatio æquivoca.* Antequam autem vim argumenti infringamus, in genere respondeo, 1. Aristotelicos quidem propugnare generationem æquivocam, sed ita, ut non illam applicent rebus, juxta statum naturæ rectum & regularem productis, non monstris, aut iis, quæ non juxta consuetum naturæ ordinem ad ortum promotæ fuerunt 2. de tali loquuntur generatione æquivoca, quæ multò ante productionem muli locum habuit: nam causam efficientem proximam eorum, quæ generatione æquivoca producuntur, faciunt cælum, calorem, solem & terram. Jam autem cælum, sol calor & terra prius extiterunt, quàm mulus fuerit generatus. *In specie negamus minorem propositionem, mulus enim & leopardus non sunt species mundi, sed specierum defectus & aberratio, mutant quidem speciem, sed non ipsi sunt species; jam verò in æquivoca generatione generans & genitum diversas mundi species constituunt. Tria enim in universum, ut nervosè fatis inquit Beatiss. Dn. Sperl. in tract. de orig form. contra Freit. cap. 9. pag. m. 271. considerat physicus 1. principia seu causas corporis naturalis 2. affectiones 3. species. De his speciebus corporis naturalis definitio cum univoca tum æquivocæ generationis loquitur.*

§. 2. Quæ speciem servant, sunt illa, quæ ab aliis perfectis effectis ratione substantiæ non differunt, ratione tamen accidentium, id est ratione alterius cujusdam deformitatis & enormitatis ab aliis discrepant, qualia monstra sunt bicipites, monoculi, alique, eaque sunt vel circa sexum, quæ duplicis sunt generis, aut enim sexus sunt dnbi, aut sexus utriusque.

Sexus



Sexus dubii sunt, ubi membra genitalia non rectè sunt conspicua, ut dubitare possis, an femina, an mas sit, quemadmodum de Empedocle talis circum fertur versus. *Et puer ipse fui, nec non quandoque puella.* Hic errant sæpius historici, qui existimant, feminas essentialiter mutari posse in viros, viros item in feminas, qualem tamen *μελαυόσφωσιν* nunquam natura admittit. Nos potius causam sexus dubii quarimus in partium genitalium formatione non rectè sese habente: ubi enim tale in genitalibus vitium, ibi nunc masculum, nunc femellam cenere licet. *Sexus utriusque* sunt, quando utrumque adest membrum, & fæmineum & masculinum, quæ monstra dici solent hermaphroditi vel androgynæ, qualia monstra in genere non tantum brutorum ut in genere leporino, equino, sed in ipso quoque humano non nunquam deprehendantur. Solet autem alterum membrum magis esse patens, quam alterum, ita ut si magis inclinet ad masculinum genus homo, promineat magis membrum genitale virile, lateat autem muliebre. Quibus autem modis hermaphroditi soleant esse inter mares & feminas, silebimus potius, quam ut enucleatius edisseramus, ne forsan puriores mentes offendamus. Vide *inst. phys. Sperlingii cap 9. de monstris pag 250.* Quæ autem hic liberius quodammodo diximus, animo discendi diximus. Studiosa namque mens fæda non minus, quam splendida tractat, & plus sæpe sapientiæ in materia vilissima, quam nobilissima invenit. Quod impuriorum offendit mentes, non nostros lacescit animos.

§. 3. Alia sunt circa constitutionem partium, quæ quatuor modis fieri solent i. ratione numeri, ut vel excessus vel defectus membrorum adsit, v. g. cum homo nascitur quatuor pedibus, manibus, vel destitutus brachiis, manibus, aliisque membris. Ubi non sine admiratione cernimus sæpius, hunc membrorum defectum largius suppleri in aliis à natura. Hic Wittebergæ ante paucos annos vidimus hominem minoris staturæ, manibus à nativitatis puncto carentem, qui elegantissimam tamen scripturam formare poterat, pingebat instar pictoris artificiosissimi, pennas quoque scriptorias



torias sibi cultello adaptabat, bombardas explodebat, & alia manuum officia pedibus exequabatur, ut satis in hoc homine mirari posses admirandam naturæ providentiam. Keckermannus *lib. I. syst. Phys. c. 4.* exemplum de nobili quodam Lithuano muto nato recenset, quod digitis suis accuratissimè cum famulis loqui potuerit, ut animi cogitata facilè perciperent. *Objicis* autem, naturam non solere abundare in superfluis, nec deficere in necessariis, ut audit canon Physicus. Sed distingue inter naturam sibi relictam, & sui juris, & impeditam sive aberrantem, & res erit in salvo. Sibi relictæ semper *ποιεῖ Φύσις τὸ βέλτιστον*, ut loquitur *Arist. lib. 2. de Cælo cap. 1.* Vel *2. ratione magnitudinis*, quando rursus vel defectus vel excessus adest in cõmuni partium mensurâ & staturâ, v. g. cum homo nascitur curtis brachiis, pedibus, cum nascitur nanus & pumilio, aut cum gigas aut Polyphemus aliquis nascitur. *Natura* enim, inquit liber Sapientiæ, *omnia fecit pondere, mensurâ & numero cap. 11. v. 21.* Quidquid ergo aberrat ab hoc pondere, mensura & numero, censui monstrorum erit annumerandum. Accedit quod natura certa gaudeat & delectetur quantitate, quæ rursus certos suos habet terminos, maximum & minimum, non tantum in genere humano, sed omnium omnino corporum naturalium, quos non facilè transcendere soleat: si autem hos sibi destinatos limites transiliat, præter intentionem transilit nonnunquam, & monstrum certissimè oritur. Neque hinc sequitur, quod illi statim sint pro monstris habendi, qui aliis sunt majores & minores, hinc insignem & notabilem saltum naturæ intelligimus. Non enim, judiciosè inquit *Sperling. lib. Instit. pag. 270.* ad infallibile punctum volumus adstrictam naturam, sed ut pulchritudinis sua est latitudo, sic & magnitudinis. Non omnes Absolomi sunt, deformes tamen hinc non sunt. Sic non omnes regia Adami gaudemus statu a, monstra tamen hinc minimè censebimur. *Vel ratione unitatis* quando partes non justo modo sunt unitæ, ut cum infans nimium diductis labiis, aut planè aperto ore nascitur. Adduxit ipse *Sperlingius* celeberrimum Sennertum, qui hominem ratione hujus unitatis sat monstruosum vidit. Transcribam ver-

C

ba



ba Sennertiana ex *Tract. Sperl. de form. hom. in Ut. cap. 5.* Novi & aliam faminam, quæ cum vidisset à lanio caput suillum securi dividi, filium genuit, cui tota superior palati pars cum maxilla superiore & labio superiore ad nares usque divisa erat. Vel tandem *ratione conformationis.* Huc pertinent illi, in quibus natura organis insuetum adjudicavit locum, quorum oculi sunt in mento, aures in occipite, nasus in media fronte, huc pertinet, qui sese ostentat non facie humana, sed vulpinâ, caninâ, leporinâ. Huc pertinet ipse Socrates, qui fertur fuisse naribus simis, recalvâ fronte, pilosis humeris, repandis auribus, quam deformitatem Socraticam ipse satis ridiculè comprobavit. Cum enim duæ uxores Zelotypiâ quâdam contenderent, Socrates eas delirare dixit, quod rixas alerent de tam deformi homine, in quo amabilitatis & pulchritudinis nihil. Hoc tenendum adhuc esse censemus. Unum monstrum magis monstrum esse dicendum quam alterum. Prout enim quædam deformitate simplici laborant, & quædam multiplici, eatenus hæc magis accedere ad naturam monstri judicamus, quam illa, v. g. Ille qui uno natus est brachio, minus monstrum æstimandus est, quam qui uno brachio & uno pede natus est. Sicut ille, qui ebrietati plus justo indulget, non tam vitiosus & improbus dicendus est, quam qui lasciviæ & ebrietati simul deditus est. Unum enim vitium alterum gravitate excedit, ita quoque homo, in quo minor est membrorû deviatio à recta & solita naturæ dispositione, quam in altero, minus monstrum censendus est.

#### SECTIO ΕΡΩΤΗΜΑΤΙΚΗ.

I. *Queritur, an Deus activè concurrat ad monstrorum productionem?* Neq; Extrema absurditas est, asserere, Deum esse monstrorum causam, & tamen sententia hæc monstrosa propugnatores habet acerrimos. Ii enim qui Deum omnia immediatè agere statuunt, ut planè nulla sit causarum secundarum actio, Deum causam monstrorum effectuum constituent. Hoc namque urgent principium. Si causæ secundæ nihil agunt aut suscipiunt absque primâ, sequitur, quod Deus quoque causalem præbeat influxum circa monstrorum productione

one



onem. Sciant illi, axioma hoc loqui de actione ipsa, non actionis ἀταξία vel defectu. Ad illam concurrere Deum & nos ipsimet omni asseveratione affirmamus non ad hanc. Causa secunda nihil suscipere valet absque concursu causæ primæ, quod ipsum effectum attinet, non defectum. Distinguendum hic inter causæ secundæ & primæ subordinationem, & secundæ causæ à prima exorbitationem & deviationem. Verissimum est, causam secundam vel inferiorem nullas præstare posse actiones absque prima & superiore quantum ad causarum subordinationem. In defectibus autem rerum nulla conspicitur causarum subordinatio, sed quia est ἀταξία & declinatio causæ secundæ ab ordine à causa prima præscripto non potest à recta subordinatarum causarum τάξει dependere. Do nonnulla similia, negotium hoc exactè illustrantia. In claudicatione duo occurrunt, 1. ipsa ambulatio 2. vitium in ambulatione, quod est ipsa claudicatio. Ambulatio ipsa reducitur ad animam sensitivam, quatenus illa gaudet potentiâ loco motivâ, ipsa autem claudicatio reducitur ad defectum pedum vel ad luxationem tibiæ, non ad virtutem motivam. Ita quoque defectus causæ secundæ non est reducendus ad primam causam, quæ quidem est causa, quod secunda agat, sed non est causa quod actiones secundæ causæ sint cum defectu. Sicut quoque in δύο φωνία citharæ duo deprehenduntur, ipse sonus & δύο αεμονία, qui sonus oritur à citharædo, qui bene tangit fides (suppone enim citharædum aliquem excellentem) vitium autem soni oritur à chordis plus justo laxatis aut nimium intentis, ita quoque Deus ἐνσπυρήσας concurrat ad actionem, in quantum est actio tanquæ causa prima, in quantum autem inordinatio quædam ipsi actioni adhæret, causa deficiens accusanda erit. Vid. Dn. D. Scharff, in Pneumat. l. 2. q. 4. & Dn. Calov. Metaph. c. 6. de causis & Causato. In specie ad monstrum. In monstro duo consideranda occurrunt. 1. naturæ aliquod opus 2. ἀταξία operi adhærens. Datur enim in monstris quoddam naturæ opus licet depravatam & perfectione naturali orbatum, habetur naturæ actio, licet vitiata, format virtus, licet pravè formet. Quatenus jam cernitur ibi actio



& opus naturæ in monstris, eatenus Deum non excludimus, quatenus autem talis deviatio, exorbitatio & aberratio naturæ ibi deprehenditur, Deum à monstris remotissimum & plane exclusum volumus. Quod duplici ratione probamus 1. *ex formali monstriratione*. Hæc est insignis quædam & notabilis deformitas, hinc per defectum potius est definiendum monstrum quam effectum, cujus deformitatis causa & origo Deus statueretur, si activum concursum concederemus in productionibus corporum monstrorum, quod absurdum: Deus enim est Ens summè bonum, summè perfectum, à quo nil nisi bonum & perfectum oriri potest. teste Jacobo c. 2. 2. *Ex causa efficiente monstri*, quæ deficiens & aberrans est. Omnia enim in universum monstra à causis oriuntur deficientibus, peccantibus, Deum autem velle dici causam aberrantem, esset Deum non Deum facere: Accedit, quod Deus gravissimam illi indixerit pœnam, qui flagitiosa libidine inflammatus, nefando se miscuerit coitu cum brutis, ex quo postea monstrum horrendum pronasci posset. Ita *Levit. 18. v. 23.* Cum pecore non coibis, nec maculaberis cum eo, mulier non succumbet jumento, nec miscbitur ei, quia scelus est. Quid? quod interdixerit quoque, ut animal cum alterius speciei animali congrederetur. *Levit. 19. v. 19.* Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Cujus jam Deus est osor, illius nullo modo causa & autor esse poterit. Imò ad dendum & hoc, quod Deus in prima creatone non tantum sollicitus maxime fuerit in benedictione divina de singulis animalium & plantarum speciebus, ut multiplicarentur juxta speciem suam sed etiam ante diluvium ex omni vivente jussit bina in arcã à Noa assumi ex volatili in specie sua, ex reptili & ex jumento in specie sua, quã diligentissimã providentiã non opus fuisset, si Deus monstra ex diversissimorum animalium coitu fieri voluisset. Duplici tamẽ modo Deus ad monstra producenda concurrere dicendus est 1. *παρὰ χωρητικῶς* dum naturam sustentat & permittit ut fiant defectus & monstrosæ enormitates. 2. *υπερνητικῶς* quando pro sapientia sua modum defectibus statuit esodemque ad bonum dirigit finem,

tum



tum ad gloriam suam illustrandam, tum ad scelera hominum puniendam, tum ad futura prædicendam.

Quæst. Ansi Adamus permansisset in statu integritatis, monstra in humano genere fuissent? Neg. Probam. 1. à divina benedictione. Eo certè modo semper propagati fuissent homines, si legi divinæ morem gessissent, quem intendebat divina benedictio, quæ hoc volebat, ut homo perfectissimus in specie sua generaret hominem perfectissimum. Primi enim parentes in summa perfectione erant conditi, his numero quidem sed non specie diversis benedicebatur, ut sibi simillimos filios filiasque progenerarent. Nam quemadmodum hodierno tempore peccatum in nos propagatur à parentibus per carnalem generationem, ita ut Regius vates David vehementer conqueratur, se in peccatis esse conceptum. Ps. 51. v. 7. in Hæbræo habetur *יָמַתְּ מִתְּחִלָּה* calefecit me mater mea, ita ut statim præsentem semine parentum labes peccati adfuerit. Ita quoque in statu felicitatis imago divina, quæ decorati erant primores parentes, una cum anima traducta fuisset ad liberos. Illa autem consistebat non in insigni quadam & notabili deformitate, quæ monstrum formaliter constituit, sed in summa perfectione & rectitudine. Non metuendum fuisset, ut naturæ deviatio in generando homine locum habuisset, namque hoc modo sublata & destructa fuisset ratio imaginis divinæ. Probatur. 2. Ex definitione monstri. Monstrum est effectus naturalis cum insigni deformitate à causa deficiente & aberrante productus. Quæro jam an in felicissimo illo statu talis defectus, talis insignis enormitas & causa aberrans stare potuerit? Nemo qui non *ἀπώστια τῆς ἀγνοίας* laborat, illud ipsum affirmabit. Nunquã natura in formando corpore humano à scopo & fine suo aberrasset, nunquam intentio naturæ primaria impedita & turbata fuisset, ut intentione secundariã opus fuisset. Hoc quidem modò hodie sæpius natura procedit, ut primariò & per se intendat foetum perfectissimum, omnisque enormitatis expertem, impedita autem concurrat cum causa impediente, & ad generationem monstri succumbat & imperfectam admittat prolem,

C 3 sed



sed in statu paradisiaco nihil fuisset, quod suspendisset primariam naturæ intentionem, ut ruere necessum habuisset ad proximum deformitatis fundamentum. Hinc monstra ab ipso quoque Aristotele naturæ παρεκβάσεις, ἀμαρτήματα τῆς φύσεως appellantur. Prob. 3. Ex ipsa divisione monstri Dividitur monstrum in id, quod speciem mutat, & quod speciem servat. Nullum divisionis hujus membrum in integritatis statulo locum obtinere potuit: *non monstra speciem mutantia*, quia illa ex abominando hominum & animalium coitu originem suam trahunt, quod fœdissimum factum tantum abest, ut homines in statu integritatis illud perpetrassent, cum etiam mortales sæpius post lapsum ab immani & nefando illo scelere immane quantum abhorreant: Flagitiosa namque, imò plus quam insana & ferina libido est, si creaturæ ad imaginem Dei conditæ, semen suum, præstantissimum illum naturæ thesaurum misceant cum animalium seminibus. *Non speciem servantia*, quia in talibus accusanda est vel natura deficiens, quæ efficit monstra, qui defectus à variis potest proficisci causis, mox enim *phantasia* turbare potest appetitum, appetitus locomotivam, loco motiva humores & spiritus, hinc, ut antea diximus, indeterminatus aliquis existit effectus in corpore fœtus, mox ipsa *virtus formatrix* à phantasia per species ab illa perceptas seducitur, ut membra formet tortuosa, & variis modis depravata, hinc determinatus solet existere effectus in corpore fœtus. Talis autem turbatio appetitus: & talis seductio vis πλαστικῆς à phantasia non metuenda fuisset, quia suavissima ibi rerum omnium harmonia, & harmonicus concentus obtinuisset, vel *causa materialis*, quæ est ipsum semen, vel in excessu vel in defectu peccans. Repugnat autem talis ἔλλειψις & ὑπερβολὴ primævo statui, cum omnia in justo pondere, mensura & numero fuerint creata. O itaque felicitatem admirandam, quam verbis vix ac ne vix quidem consequi licet! Ipse Damascenus quando oculorū aciem retroflectit ad felicissimam Adami conditionem, eum appellat εὐἀρετον καὶ εὐθῆ καὶ πάσῃ ἀρετῇ καθηγρητισμένον, καὶ ἀγαθοῖς κοινῶντα. O infelicissimum hodiernum statum! O monstruosum Satanæ scelus! O monstruosam hominis primi malitiam! Q. An



*Q. An anima, partim ex congressu hominis partim bruti  
 progenita monstrosa sit* Difficilis est quæstio, adeo ut facile ejus  
 difficultas nos absterre potuisset ab illa. Liberè tamen  
 mentem nostram absque aliorum tædio exponimus. Mon-  
 strosam illam esse dicimus. Quemadmodum enim totum  
 illud genitum monstrosus est, ita quoque animam mon-  
 strosam pronunciamus, quippe anima formaliter dat esse  
 monstrosus monstro speciem mutanti. Brevisimas autem  
 duces lineas, & duos probationum modos tantum affe-  
 remus. i. probamus ex eo, quia tale monstrum est speciem  
 mutans monstrum, quod ratione substantiæ & essentiæ suæ  
 diversum est à causis producentibus, illa autem diversitas ratione  
 substantiæ locum hic habere non posset, nisi illam quoque in ip-  
 sa anima quæreremus. 2. probamus ex usitatissimo illo canone.  
 Qualis causa, talis quoque effectus. Si jam in generationis a-  
 ctu causa partim homo, partim brutum fuerit, effectus quo-  
 que ex parte & in tantum brutum similis erit, ex parte & in tan-  
 tum homini similis erit: monstrosa enim seminis mixtio,  
 quæ hic præcesit, monstrosus infert genitum, *uti acute  
 in quadam disputatione de monstris inquit Beatiss. Dn. Sperling.*  
 anima autem in tali speciem mutante monstro fuit cau-  
 sarum sociarum effectum. Necessum itaque est, dica-  
 mus, animam talem maximè monstrosam esse. Sufficiat,  
 pauca de his annotasse. Grates DEO sint cumulatiſsimæ  
 pro gratia sua cælitus nobis concessa. Is porro  
 prosperet conatus nostros.

❖(\*\*\*\*\*❖

Ad Præstantissimum Dn. Respondentem  
 Amicum honorandum.

**S**æpius obliqui commonstrant dogmata rectum  
 Resque magis constat, cui datur oppositum:

Li.



*Librum naturæ dum volvis, doctè Kœni,  
In quibus rectè, quid sibi monstra velint.  
In causis rerum si non cognoscitur error,  
Quid fieri debet, non benè percipitur.  
Hinc tibi constabunt Naturæ viscera certa,  
Altisque in tenebris quod latet, invenies.*

f,  
CHRISTOPHORUS Mottnagel. P. P.

---

**N**on sufficit tacitis libellis immori  
Evolvèreque perdocta scripta ad pulpita;  
Sed parta producenda doctrina est foràs  
Opesque collectas oportet promere.  
Quod dum facis, mi KOEHNE, vires publicâ  
Hac disputatione singulis probans  
Tui ingenii laudabiles, quàm dulcia  
Facis pericla? quàm pia Parenti creas  
Gaudia! Tibi tuisque, KOEHNE, gratulor  
De laude perdoctæ Tuæ mentis jugi  
Ausisque pulchris, quos Deus feliciter  
Profliget atque prosperet, eundem precor!

CONSTANTINIS Ziegra. S.S. Th.  
Lic. Phys. P. P.


---

**D**um monstras doctè, spurios quos sistat aberrans  
Naturæ effectus, quos dicere monstra solemus,  
Horum dum causas inquirere sedulus audes,  
A vitio immune tuum, doctissime KÖENI,  
Ingenium monstras Sic sic de. et ire ad honores!  
Sic Patris clari complentur vota, refulget  
Sic Patris in nato pietas, doctrinaque, virtus!  
Insta felici pede: namque refert Mavortis alumnus  
Strenuus egregium spoliū, cursorque brabea.

En habes, præstantissime Dn. KÖEN, Amice  
candide, paucas lineolas, manus & mentis  
meæ candidæ certissimam tesseram.

scribebat R S Æ S E S.











2000 A 6274

ULB Halle 3  
002 913 380




56


Reha ✓











B.I.G.



Farbkarte #13

42.

V.  
 PHYSICA

TRO.

RÆ OPE  
 S,  
 n,  
 IDE  
 RGER, LUBEC.  
 Adjuncto  
*ura submittit*  
 K Ö E H N  
 nsis.  
 . Ianuar.  
 inori horis an-  
 ianis  
 \*\*\*\*\*  
 ERGÆ  
 ORIS OELSCHLEGELN,  
 C. LVIII.

